

39.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE SUAVISSIMO
SALUBERRIMOQUE PHILO-
SOPHIÆ FRUCTU, QUI FELICITAS
 practica, seu beatitudo moralis vulgò

vocatur;

Quam,

ASPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

Sub presidio

M. PATRICII KYNNERII SCOTI
 KELMANENSIS, PHILOSOPHIÆ IN IL-
 lustri Herborenensium schola Professoris, publicè
 propugnare conabitur

STEPHANUS SPALTTIUS Hanovicus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
 Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1606.

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
VIRTUTE RARA, LONGA QUERE-
RUM EXPERIENTIA SPECTATIS-
SIMIS VIRIS,

DN. PETRO KEUCHENIO U. J. D.
DN. WILHELMO STURIONI U. J. D.
DN. PHILIPPO BOTTIO U. J. D.
DN. ARPOLDO SCULTETO:

Reipublicæ quæ est apud Hanovienfes, moderatoribus
dignissimis:

Nec non Reverendiff. Clariff. viris,

DN. M. HENRICO HEIDFELDIO,
DN. SEBASTIANO SEIDELIO,

Ecclesiæ Hanoviensis Pastoribus fidelissimis, vicariarumq; Ec-
clesiarum inspectoribus vigilantissimis:

S. P. D.

FAs est Doctores Themidos, Christiꝝ, ministri,
Vobis ingenii dona dicare mei.
Multis nominibus me vobis debeo totum,
Mitto igitur versus & superaddo theses.
O utinam digno vos munere condecorare
Possem! sed nequeo munera digna dare.
Multi multa ferunt: equidem chartacea pauper
Munera fert, dites aurea dona ferant.
Æquiconsulte hac patroni ritè colendi,
Nonnunquam parvis spes bona rebus inest.
Sicut enim exigui laudatur cultor agelli;
Artis moralis sic quoq; cultor agri.
Feci quod potui, posui quod luminis aut hor
Asservit, veri pignus honoris erit.
Indignas fateor pagellas nomine vestro,
Nomine quod semper primus & imus amat.
At quia vos placidos novi, spe nit or & ista,
Vos consulturos qualiacumq; boni.
Quod restat, Dominus qui solus prerogat annos,
Aspiret vestra stabra secunda rati:
Elabra secunda rati donet, regat atq; tegat vos,
Ut mens in sano corpore sana fiet.

V. C.

obser. & additiff. Stephanus
Spaltius Hanov.

THESIS I.



Eus optimus maximus omnium hominum cordibus inscripsit & impressit, tum naturalem cognitionis & scientia cupiditatem, in qua excellere pulcrum putant: labi autem, errare, nescire, decipi malum & turpe ducunt: tum felicitatis & beatitudinis desiderium, quo sibi bene esse appetunt, se, vitam corpusq; tuentur, declinantq; ea qua iis nocitura videntur.

dehincem vide
th 90.

2 Et cum Deo in manu esset singulis quibusq; mort alibus omnia largiri, tamen in concord. am, quam unice voluit nobis commendat. am, illi magis visum est idoneum, sic aliis alia dare dona, ut nec sibi quisquam nimium placeret, nec aliam contemneret: sed communi utilitati studens, nemini nocere & quamplurimis prodesse, pro data sibi gratia & concredito sibi talento, sedulo semper conaretur.

3 Si haec naturalia Dei dona integra & incorrupta in nobis essent: naturam duccem sequentes, nunquam aberraremus, eademq; optima duce cursum vitae conficere mus. Nec sane esset quod quisquam artes liberales requireret, cum natura sufficeret.

4 Nunc vero ait Cic. Simulatq; editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitate versamur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur, atq; ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa cedat.

5 Haud immerito igitur cum Cic. exclamamus, O vita philosophia dux, d virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset! Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vita convocasti: tu eos inter se, primo domicilio, deinde conjugis, tum literarum & vocum communione junxisti: tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplina fuisti. Et Seneca epist. 16. philosophiam nunquam satis laudatam ita extollit laudibus: Philosophia (inquit) animum format, vitam disponit, actiones regit, agenda & omitterenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, adhortatur ut casum fortiter seramus & Deo libenter pareamus. Idem epist. 73. Ad philosophandum nullum tempus satis magnum est, si à pueritia usq; ad longissimos humani aevi terminos vita proreunditur.

6 Philosophia (id est, amor sapientiae) est excellens Dei donum quo homines utuntur, ad excitandos & augendos relictos parvulos incorrupta illius naturae igniculos, ut bene beateq; vivendo, quantum in hac fragili & imperfecta vita fieri potest, summo fruantur bono & sine terrore mortis moriantur.

7 Philosophia versatur in oratione & ratione minus, magis & maxime exor-

nanda, quibus dotibus homo præ ceteris corporeis creaturis à creatore ornatus est.

8 In oratione minùs exornanda (ita ut tantùm congrua sit) versatur grammatica Latina, reliquæq; lingua & loquendi artes, quæ sunt primæ quasi philosophiæ principia & instrumenta, quibus homo animal naturæ sociale & civile utitur ad pleniorum eorum notitiam assequendam quæ homini humanis viribus utenti cognoscere datum est, ut intelligere queat quæ ab eruditis, qui non maternâ utuntur linguâ, dicuntur aut scribuntur.

9 Hæc philosophiæ pars quàm sit utilis & necessaria, non solùm omnes docti norunt: & vetus & verum illud proverbium: Debile fundamentum fallit opus, probat: verùm etiam misera eorum docet experientia, qui hæc tenuiter instructi, aut temerè neglectâ coguntur in ignorantia hæere luto.

10 In majori orationis & eloquentiæ ornamento explicando Rhetorica suam ostendit excellentiam, grammatica orationi congrua pulcherrimos suavissimosq; troporum & figurarum flosculos inspergens: qui prudenter adhibiti mirabiles habent effectus, cum nihil sit tam incredibile quod dicendo non fiat probabile: nihil tam horridû, tam incultum, quod non splendescat oratione & tanquam excolatur, ut ait princeps oratorum Cic. Mirum enim in modum artificiosa eloquentia auditorum animos movet, deletat, ducit, rapit, auræ & quasi divinâ catenâ vincit.

11 Deniq; orationem maximè exornat semidivina ars pœtica cum eloquentia conjungens accuratissimam quantitatis singularum syllabarû observationem, nullum planè negligens splendoris ornamentum, quo auditorum corda permoveat, oblectet, penetret, omnia vividè ob animi oculos representans & miscens utile dulci.

12 Atq; hæc hæctenus de fructu disciplinarum ingenuarum & liberalium quibus exornatur oratio sequitur ut quarètes summum philosophiæ fructum, paulò majora canamus de iis quibus dirigitur ratio, unde homo animal rationale denominatur. Est autem talis disciplina vel instrumentalis vel principalis.

13 Instrumentalis disciplina est logica sive dialectica latè sumpto nomine, pro utilissima arte illa, quâ utimur in fingendis & fabricandis instrumentis distinguendi verum à falso, consequentiam ab inconsequentia, ordinem à confusione.

14 Fructus & usus liberalissima hujus artis in omni disciplinarum genere permagnus sanè est, ut jure optimo instrumentum instrumentorum dici mereatur propter summam ejus excellentiam inter omnes disciplinas instrumentales.

15 Principalis disciplina de ratione excolenda vel in sola contemplatione consumitur, & pro fine ultimo cognitionem habet & rerum scientiam per suas causas: vel docet omnem ad actionem tanquam ad principialem præstantioremq; finem dirigere. Illius fructus suavissimus est, hujus verò saluberrimus.

16 *Contemplativa philosophia vel est magis vel minus universalis, quarum illa metaphysica nominatur, quae generaliter explicat omne ens, quatenus ab humano ingenio sine speciali materia conceptu intelligi potest.*

17 *Sine hujus cognitione nemo feliciter in ceteris scientiis versatur, siquidem illa ab hac dependent.*

18 *Minus universalis contemplativa philosophia vel explicat corpus naturale, quatenus habet in se ipso naturam, id est, formam & materiam & proprietates ab his profluentes, nominaturque physica, seu naturalis scientia.*

19 *Cujus cognitio excellentioribus ingenii tam suavis & jucunda esse solet, ut praehac sordescant corporea voluptates, negligantur divitiae, contemnantur honores, & id genus alia, quae vulgus hominum summum arbitratur bonum.*

20 *Obi physicus desinit, ibi medicus incipit: & in contemplatione hominis sanandi accuratissime & cum magna humani generis utilitate versatur.*

21 *Vel minus universalis contemplativa philosophia, explicat rem quantam quatenus est mensurabilis, quae per excellentiam Mathematica nuncupatur. Quia olim diu multumque ab antiquis philosophia studiosis incredibili cum delectatione disciebatur. Estque vel generalis, quae generaliter & absolute de tali subjecto agit, & est duplex, Arithmetica, quae numerum explicat: & Geometria, quae magnitudinem.*

22 *Vel specialis, quae agit de speciali alicujus rei quantitate, aut à qualitate separata, ut Cosmographia: cujus partes tres praecipue numerantur, astronomia de stellis, geographia de terra, hydrographia de aqua: aut cum qualitate visibili, aut audibili juncta: illa Optica: hac Musica nuncupatur. Harum disciplinarum fructus quam delectabilis dulcisque sit nobilissimis animis, qui eas vel primis, ut ajunt, labris degustarunt, ignorare nequeunt.*

23 *Sed quoniam ut optimus est jaculandi artifex (ut inquit Erasmus) non cui pharetra est gemmis distincta, cui arcus quam maxime insignis, sed qui certissima manu scopum ferit: ita optimus est philosophus, non qui Peripateticorum dogmata pulchre tenet, sed qui philosophiae rationem fructumque exprimit vitae ac moribus: ad fructuosissimam saluberrimamque philosophiam moralem, summum hominis bonum investigantes, fruendi desiderio accedamus. Recte enim & acute ait Seneca, Epist. 15. Mos fuit antiquis usque ad meam servatus aetatem, primis Epistolae verbis adjicere: Si vales bene est: recte & nos dicimus: Si philosopharis bene est. Valere enim hoc demum est. Sine hoc ager est animus. Corpus quoque, etiamsi magnas habeat vires, non aliter quam furiosi, aut phrenetici validum est. Ergo hanc valetudinem praecipue cura: deinde & illam secundam. Huc spectat illud Ovid. 1. Rem.*

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;

Arida nec sitiens ora levabis aqua:

Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?

At pretium pars hæc corpore majus habet.

24 Philosophia moralis quæ practica dicitur, omnem cognitionem dirigit ad actionem secundum virtutem, ut homo bene beateq; vivens summâ fruatur temporariâ felicitate & beatitudine, quæ summum appellatur hominis bonum practicum, quod assequi potest in hac vita, hujus immundi mundi miseris multis mutationibus obnoxia, tandemq; cum morte, qua nihil certius, & cujus horâ nihil incertius, commutanda.

25 Activa hæc philosophia aut est universalis & generalis, quæ in genere omnes homines rectè mores docet emendare, sive publico aliquo fungantur in republica civili aut ecclesia munere, sive privati fuerint. Nullum enim est genus vite quod his generalibus officiis vacare debet, & communi nomine Ethica seu moralis disciplina dicitur. Aut particularis seu specialis, quæ vel patrem familiâs docet bene suæ familia præesse & providere, & domestica disciplina dici potest, vulgo retento Græco vocabulo Oeconomica nominatur: vel disferit de modo bene regendi rempublicam, unde politica seu civilis denominatur.

26 Jurisprudencia nihil aliud esse videtur quàm moralis philosophia, certis imperiis, regnis & rebus publicis à legumlatoribus & magistratu politico accommodata, suum cuiq; tribuendum docens. Quæ quidem disciplina illustrissima & omnium humanarum scientiarum suprema videtur, unde in sacra pagina iudices, quia vicarii Dei sunt in terra, Dii appellantur. Psal. 82. v. 6. Dixi, Dii estis & filii excelsi omnes.

27 Subjecta tamen est illustris quidem illa Jurisprudencia SS. Theologia, in qua explicatur summi legislatoris lex & sanctissima voluntas, omnibus omnium regum & imperatorum placitis & decretis semper & constantè anteponenda & præferenda: in qua qui meditantur die ac nocte, beati sunt: contra qui eam ignorant, iusti iudices in omnibus esse nequeunt.

28 Generalis philosophiæ activæ duæ sunt partes, in quarum priori agitur de ejus scopo, sine & fructu: in posteriori de medijs & instrumentis necessarijs & idoneis, ut hoc uberrimo saluberrimoq; fructu fruamur. Illa explicatur à philosopho, libro primo ad Nicomachum, hæc in reliquis novem libris.

29 Primi illius libri tres sunt partes. 1. Exordium sive præfatio, quæ tribus primis continetur capitibus. 2. ipsa summi boni explicatio, ab initio 4. cap. usq; ad 13. Postrema est, in qua est transitus ad secundum librum, complectens unam divisionem animi, alteram virtutis.

30 Proœmium 4. complectitur precipuas quæstiones. Prima, An sit aliquod summum

summum bonum & finis ultimus actionum humanarum, qui propter se expeditur & omne propter illum? Affirmat philosophus, quia nisi esset aliquis talis omnium operationum finis, appetitus hominum progrediretur in infinitum: quod est absurdū & contra naturam.

31 *Secunda questio, Cujus disciplina sit ultimum illud bonum explicare? Resp.* Philosophus, illius disciplina munus esse, quæ maxime principalis est, aliisq; imperat quatenus & quomodo sunt toleranda & excolenda, quæ propositio sine exceptione vera est. Assumit, Politica talis est. Nos asserimus, assumptionem veriore[m] esse de Theologia, ut mox videbimus in definitione felicitatis.

32 *Tertia questio, Qua utendum sit methodo, in morali scientia? Resp.* Aristoteles, Quod exacta & accurata methodus ac argumentatio non sit hic querenda: propterea quod morales regulae multas habeant exceptiones, à loco scilicet, tempore, caterūq; actionum circumstantiis petendas. Quis enim ignoret trivissimum illud, Summum jus (sophistica & malitiosa juris interpretatio) summa est injuria. Deinde, cum omnis disciplina tradatur, ut nos res quàm facillimè cognoscamus, ita ut semper progrediendum sit à notioribus nobis, in illa scilicet scientia minùs accuratâ, ubi actiones, quæ effecta sunt, notiores sunt nobis suis causis: Progrediendum est à posteriori ad prius, id est, à cognitione finis ad ea quæ ad consequendum finem comparata sunt; Si quidem, ut docet Doctiss. Zab: lib. 2. cap. 6. apologia, nisi primum statutum sit quòdam sit summum hominis bonū, nec quicquam de semivirtutibus & dispositionibus, nec de virtutum habitibus quicquam dicere possumus. Multi enim negabunt, qui felicitatem constituunt in honore aut divitiis, virtute opus esse ad felicitatem: Proinde alienam asserent esse à civili disciplina tractationem de virtute. 2. Si scopum ignoremus, ad quidnam respicientes media ad eum idonea quæremus? Felicitas ergo et si virtutis effectum sit, non tamen malè à philosopho prius explicata esse videtur, quod bona cum acutissimorum philosophorum venia, qui aliter sentiunt, dictum velimus.

33 *Quarta deniq; questio, Quisnam sit idoneus disciplinae moralis auditor? Re.* Aristoteles, idoneum esse auditorem. 1. Qui argumentis acquiescat probabilibus & minùs accuratâ à methodo. 2. Qui rectè possit judicare de preceptis rerum agendarum & experientiâ aliquâ præditus sit. 3. Et amans honestatis, bonis preceptis obtemperet, eaq; magis magisq; emendandis suis moribus in praxim redigat: juvenem autem moribus qui hæc non potest præstare, sed suis affectibus servit & animi perturbacionibus, non esse idoneum auditorem, id est, inutiliter, aut saltè non cum magno fructu operam dare moralibus bene vivendi preceptis.

34 *Dices sortasse, absurdam esse hanc philosophi responsionem. 1. Quia qui expe-*

scientiā praeclara est rerum agendarum, is non eget regulis ethicis. R: Neminem usq̄ admodum perfectum esse, ut non opus illi sit totā vitā quotidie discere quomodo bene vivendum. Vivimus enim ut discamus vivere, imō ut discamus bene mori, ut sapienter ait Seneca. Unde illud aureum sanē proverbium, & consilium saluberrimum,

Disce mori vivens, moriens ut vivere possis.

35 Secundo objicies, eum qui male vivit, maximè opus habere bene vivendi regulis, ac propterea non esse arcendum ab audientis moralibus praeceptis tanquam inidoneum auditorem. R: Male viventes à Philosopho nequaquam ejici ex auditorio Ethico: Sed idcirco Aristotelem asseruisse eos inidoneos auditores, quia depellere voluit objectionem contra dignitatem fructum ut sitatemq̄ disciplinae morum. Non enim sequitur eam sterilem esse & inutilem, et si aliqui auditores minus ejus fructum expriment in moribus emendandis: quippe quia vitium non est in arte, sed in audientibus arte. Sicut enim ad curandos morbo laborantes non sufficit medicum salubria pharmaca praescribere, sed necesse etiam est aegros sanis obtemperare consiliis & uti medicamentis & mediis ad pristinam recuperandam sanitatem: similiter quoq̄, nisi quis obtemperet rectè monenti, frustra sanē (ut est in proverbio) surdo canitur & aqua hauritur cribro.

36 Miraberis deniq̄, fortasse, cur inter inidoneos auditores numeret philosophus juvenes moribus & aetate, qui scientiā rerum agendarum & iudicio honestorum & turpium destituti sunt, cum in nulla disciplina discipulus possit iudicare de praeceptis antequam ea discat: & perinde esse videtur, juvenes à discendis moribus & à philosophia morali arcere ac à grammatica, in principio enim adolescentes nec congruè loqui, nec iudicare queunt quae sit congrua oratio, barbara aut inepta: magis quàm in vivendo, quòdnam exemplum sequendum, quòdve fugiendum sit. Imò magis natura docente potest adolescens vitium à virtute discernere, quàm congruam ab incongrua oratione, si nec grammaticam nec ethicam didicerit. R: Aliud esse excludere aliquem, arcere aut prohibere ab auditorio: aliud verò eum inter inidoneos auditores numerare. Hoc tantum voluit philosophus ostendere, arti vitio vertendum non esse, si tales minus percipiant artis utilitatem, aut in principio ed proficere nequeant, ut prudenter iudicent quae in morali philosophia docentur & disputantur, & ex virtute statim agant, sibiq̄ bonos & rectos agendi habitus agendo acquirant.

37 Sed cum verissimum illud esse nos doceat experientia saepe deploranda,

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu.

Maximè profectò optandum est, ut omnes citò operam dent philosophia practica, & bene vivere maturè incipiant, constanterq̄ pergant, & quoniam, ut sapienter monet Seneca, non est bonū vivere, sed bene vivere, omnem diem perditum existiment,

istiment, in quo ad mortem properantes velocissimo cursu, nullum bene vivendi præceptum didicerunt aut progressum non poenitendum fecerunt in ea schola, in qua laudatus qui bene præcipit; laudatior qui facit: laudatissimus qui utrumq;. Magna enim Dei misericordia monuit (ait S. Augustinus) ad ps. 34. ut bene vivamus: & diem novissimum mortis nostra abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus.

38. Hactenus philosophi præfatio: tractatio sequitur, in qua primum refutat præcipuos & communissimos aliorum errores, postea suam exponit sententiam de mortalium hominum felicitate & beatitudine.

39. Hæc autem disputatio heterogenea & aliena ab arte videri potest iis qui putant, nihil nisi auctoris sententiam ipsamq; simplicem veritatem in arte tradendam esse, sed æquus rerum estimator considerabit, frustra philosophum in hoc negotio operam & oleum perditurum fuisse in explicandis virtutibus, nisi prius nervosè ac solidè refutasset errores communi vulgi consuetudine & doctorum hominum (quorum tunc fortasse major erat quam ipsius Aristotelis auctoritas) calculo & scriptis comprobatos.

40. Sed ut ceteras controversias de philosophi dictis aliis relinquamus, quibus plus otii est, minus negotii: minimè eos approbamus, qui Aristotelē (sine cujus scriptis qui excellens evaserit Philosophus, rara avis in terris) Ramū aut excellentem illum scriptorem carpere magis gestiunt, quam pro rectè dictis gratias agere, ignorantes, quam sit docto homine indigna inhumanitas, ex alieni nominis ruina & detrimento sibi viam & gradum ad captandam gloriolam & plebis plausum captare: & excutere velle illorum scripta ex adolescentulorū manibus, per quæ ipsi plurimum profecerunt, si rotundo ore & ingenue veritatem fateri vellent. Imò nec fortasse ipsius Aristotelis, nec Rami nimium reprehendendi studium approbandum est, sed hoc vitium etiam doctissimis nimis familiare est. Omne nimium vertitur in vitium. Omnia semper approbare, adulat oris est: singula quæq; reprehendere, invidi Zoilii.

41. S. Augustinus lib. 19. de civitate Dei scribit, Varronem annotasse suo tempore ducentas octuaginta opiniones de summo bono, facile ergo non est statuere, quodnam sit summum bonum. Nec solum hinc verum videtur illud esse, quot capita, tot diversa iudicia: Verum etiam unus idemq; homo pacis belliq; tempore, nunc hoc, nunc illud, quod maxime appetit, aut quo maxime eget, summum putat esse bonum: 1. in exilio patriam, quia nihil dulcius patriam terram, unde tritum illud omnium sermone proverbium:

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.

2. In paupertate divitias, quia ut ait Horat.

Et genus & formam regina pecunia donat.

3. In morbo sanitatem, siquidem
Quisquis optatâ fruitur salute,
Sit licet pauper, tamen hic potenti
Diviti præstat, mala quem flagellat
Invaletudo.

Verùm quia hæc bonis & malis sunt communia & propter alia expetuntur, summum hominis bonum esse nequeunt.

42 Nos existimamus cum Aristotele, summum hominis bonum non existere in voluptate corporis, quia hæc non solum malis hominibus est communis, sed etiam hominem ad bestias deprimit: Et sic qui sunt telluris inutile pondus, Sardanapalo similes, felices & beati essent, quod est absurdissimum. Quare præclare Cic. ad filium primo officiorum. Si quis (inquit) est paulo ad voluptates propensor, modo ne sit expetendum genere, (sunt enim quidam homines, non re sed nomine) occultat & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.

43 Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantiâ, eamq; contemni & rejici oportere. Quia, ut sapienter ait Seneca epist. 111. voluptati indulgere, initium est omnium malorum. Et epist. 52. Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quàm longissimè fugiamus. Indurandus est animus & à blandimentis voluptatû procul abstrahendus. Hannibal armis vicit, vitis victus est. Nobis quoq; militandû est, & quidem genere militiæ quo nunquã quies, nunquã otium datur. Debellanda sunt in primis voluptates, quæ sæva quoq; ingenia ad se rapuerunt.

44 Hæc doctrina S. literis est consentanea. Audiamus quæso attentis animis Apostolum Rom. 13. v. 12. 13. 14. cujus lectione Augustinus lacrymarum plenus, cooperante Spiritu S. relictâ Manicheorum heresi ad veram ecclesiam vitæq; sanctitatem conversus est. Ut ipse testis est lib. 8. confess. cap. ult. Nox abscessit, inquit Apostolus, dies autem appropinquavit. Abjiciamus igitur opera tenebrarum & induamur armis lucis. Sicut in die, honestè ambulemus, non in commensationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & emulatione. Sed induimini Domino Jesu Christo, & carnis curam ne habere ad explendas cupiditates. Ut à nobis euntibus quò itur, & non quò eundum, aut certè hujus immundi mundi & corruptissimi sæculi voluptatibus inebriatis & quasi sepultris vellicentur aures. Qui habet aures audiat, quod dixit ipse Dominus Christus ipsis Apostolis, nobisq; omnibus hodie dicit, Luc. 21. v. 34. 35. 36: Cavete autem vobis ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ, & repente vobis ille dies superveniat. Nam ut laqueus invadet in omnes qui habitant in superficie terræ: Vigilate itaque omni tempore, ut digni habeamini qui effugiatis

fugiatis illa omnia quæ futura sunt, & consistatis coram filio hominis:

45. *Secundò falsam esse affirmamus cum philosopho opinionem eorum omnium qui summum bonum collocant in divitiis. Primò quoniam sunt bonum violentum, non solum quia per fas atq; nefas acquiruntur ut plurimum: sed etiam plerosq; homines reddunt contumeliosos adversus alios. 2. Quia vel propter usum expetuntur, unde non minus rectè quàm eleganter ille dixit:*

Quid mihi divitiæ: quarum si dempseris usum,

Quamvis largus opum semper egenus eris:

Vel possessori plurimum nocent & meritò odiosum reddunt omnibus. 3. Quia sunt externa bona malis (ut videmus) & bonis communia, & saepe ambitionis, voluptatis & avaritiæ causæ. Cic. Tusc. 2. Divitias quia quisvis quamvis indignus habere potest, in bonis non numero, nempe verè bonis quæ propter se expetuntur. Idem ad Heren.

4. *Virtutes eum revereri, qui semper secundà fortunà usus est, est difficile. Seneca lib. 7. de beneficiis. Mortalium omnium judicandi sunt miserrimi, in quantiscunq; opibus resulgebunt, ventri ac libidini dediti: Quorum animus inerti otio torpet. Et epist.*

41. *Non faciunt equum meliorem aurei fræni. Epist. 17. quemadmodum nihil differt, utrum agrum in ligneo lecto an in aureo colloces: quocunq; illum transtuleris, morbu suum secum transferet: Sic nihil refert, utrum animus ager in divitiis an in paupertate collocetur, malum illud suum sequitur. Et idem lib. de paupertate: Divitiæ inflant animos, superbiam & arrogantiam pariunt, invidiam contrahunt.*

46. *Extat apud Apostolum 1. Tim. cap. 6. utilisima admonitio ne hunc errorem non ferendum erremus, quia radix omnium malorum est amor pecuniæ: Item iis qui divites sunt in hoc saeculo, ait Apostolus ibidè, Denuncia ne esserantur animo neq; spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo qui prabet nobis omnia copiosè ad fruendum: ut aliis benefaciant, ut divites sint operibus bonis.*

47. *Tertiò cum Aristotele asserimus, summum hominis bonum non situm esse in honore: 1. Quia externum est bonum ab honorante dependens & facile aufertur. 2. Quia honores expetunt homines boni, ut doctrine, sobrietatis, probitatis, & pietatis testimonium habeant ab uno bono viro vel pluribus. Honor tamen inter externa bona magnum est viri boni ornamentum. Honos enim alit artes, & virtus laudata crescit, & vix invenitur qui non quasi mercedem laborum rerumq; gestarum desideret gloriam. Sed hic magno opere vitanda est ambitio & sequendum salubre S. Augustini consilium. Neq; totum (inquit) accipias quod offertur, nec totum respicias: Nam qui rejicit quicquid honoris deferitur pro rebus rectè & præclarè à se gestis, dona Dei videtur quasi deprimere, ac nolle agnosci quod sanè à verà pietate alienum est: & vicissim qui amplectitur quantum oblatum fuerit, non parum saepe limites modestiæ transgreditur.*

48 Quarto deniq; cum philosopho dicimus, ultimum hominis bonum in hac vita non consistere in sola cognitione, scientia & contemplatione, aut otiosa virtutis habitu, etenim ut ait Cic. i. off. cognitio contemplatioq; natura manca quodam modo est, si nulla actio rerum consequatur: Ea verò actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur: Pertinet igitur ad societatem generis humani. E. hac cognitioni anteponenda. Atq; id optimus quisq; re ipsa ostendit & iudicat. Quis est enim tam cupidus in perspicenda cognoscendaq; rerum natura, ut si ei tractanti contemplantiq; res cognitione dignissimas subito sit allatum periculum discrimenq; patrie cui subvenire opitulariq; possit: non illa omnia relinquat atque abiciat, etiamsi dnumerare stellas, aut metiri mundi magnitudinem se arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo secerit. Quibus rebus intelligitur, studiis officiisq; scientiae preponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum utilitatem, quae nihil homini debet esse antiquius.

49 Rationis flatu dissipatis errorum nubeculis, contemplemur veritatis radios, quos clarius vidisse videtur philosophus, summum hominis bonum nempe morale, quo in hac vita fruimur, ita definit: Felicitas (cujus prima causa est Deus) est operatio animae rationalis secundum virtutem optimam perfectissimamq; in vita perfecta, id est, beatitudo est operatio animae hominis constanter continuata à perfecto virtutis habitu profluens. Quemadmodum enim in certaminibus Olympicis non qui pulcherrimi & robustissimi coronabantur, sed qui decertabant (ex hisce enim aliqui vincebant) & sicut nec una hirundo nec dies unus facit ver, ita nec ditissimus, doctissimus, nobilissimus, potentissimus felix & beatus est, nisi bene vivat constanter agens secundum virtutem, nec satis est semel incipere, sed tota vita oportet pergere. Finis enim coronat opus, ut est in proverbio.

50 Cum hic Aristoteles agnoscat Deum esse authorem bonae actionis, felicitatis & beatitudinis, & bonus ille Seneca Epist. 41. neminem fieri bonum sine Deo asserit: Christianum multo magis decet, corde docente, quam sapissime dicere:

Duc me, nec sine me per me, Deus optime, duci,

Nam duce me perego, te duce fausta gero.

51 Hac philosophi sententia de felicitate nobis non est spernenda. Siquidem & magistratus Christianus virum virtutibus ornatum bonum iudicat, & vitis dedecoratum punit, etiamsi veram se jactaret habere fidem. Quam dicit S. Jacob. vanam & mortuam esse sine operibus bonis. Nam solus Deus de corde iudicat, magistratus autem de operibus, sed ex sacra illa sublimiori sapientia divinitus revelata perficienda est beatitudinis definitio.

52 Ultimus finis hominis & summa beatitudo qua is in hac vita frui potest, definitore

7
definitore Domino nostro 15. cap. Evang. secundum Joh. est constanter ferre fructum
multum in Christo Jesu pro nobis crucifixo, ad ecclesie commodum, anime sue salu-
tem & Dei gloriam, hoc est constans operatio hominis Christiani secundum salutarem,
vivificam & fructuosam fidem, qua ostendit & declarat se certo credere & omnem
beatitudinis & salutis fiduciam ponere in Deo Opt. Max. Trin. & uno creatore, re-
demptore & sanctificatore, qui eum in Adamo creavit, & pretioso sanguine redemit:
quod certum sibi facit, neq. mortem, neq. vitam, neq. ullam aliam rem se posse separa-
re a charitate Dei qua est in Christo Jesu, & sanctificatur efficaciter magis magisq.
operans pietatem erga Deum, sobrietatem erga se ipsum, charitatem erga proximum,
docetq. deniq. serid se agnoscere & deplorare maximam suam erga Dei gratiam in-
gratitudinem, abusum talenti concrediti & cordis corruptionem.

53 In hoc virtutis curriculo & fruitione temporaria felicitatis, o utinam cum
S. Ambrosio iterum atq. iterum singulis diebus seria cum meditatione, ut lentè cur-
rentibus nobis calcar & stimulus addatur, consideremus tria praterita; bonum o-
missum, malum commissum & tempus amissum: tria presentia, vita brevitate, sal-
vandi difficultatem, salvandorum paucitatem: tria futura, mortis horam, qua nihil
incertius, ultimum iudicium, quo nihil terribilius, cruciatum inferni, quoniam intole-
rabilis!

54 Verum proh dolor, quis abstineat à lacrymis, serid et si serid considerando,
quam graviter erremus in via morum & saepe decipiamur specie recti, quam promisi-
mus in voluptates, quam procul ab imitatione Christi, imò & Pauli, & sanctorum
patrum, & (si licet dicere) ethnicorum, quorum peccus Evangelicè à luce non fuit il-
lustratum, sed solà natura scintilla pralucente, quorum nulli est facta promissio, quòd
futurus sit (ut ait Augustinus) illius civitatis civis, cujus rex veritas, cujus lex chari-
tas, cujus modus aeternitas. O terq. quaterq. beatus, qui excusà carnali securitate
consciis sue imperfectionis certà fide in Jesum Christum, qui quarenti adest, pulsanti
aperit, petenti dat, cum pio rege Davide Psalm. 51. ex corde orat:

O salus rerum, lacrymis precantum
Mollibus flecti facilis, rogantem
Lenis exaudi, scelerumq. tetras
Ablue sordes.
Cor mihi rectum scelerisq. purum
O potens rerum genitor refinge,
Spiritus firmum renova novatâ
Cordis in aula.

FINIS.

AD STEPHANUM SPALT-
TIUM SINGULARI MODESTIA, ET BO-

nis literis imbutum juvenem, L.L. studiosum
amicum suum.

Quæ moles nitidis sine tecto educitur astris,
Illa nequit, quia vim non domat, esse domus.
Si fundamento careat, citò tota labascet,
Nimirum firmant hæc duo juncta domum.
Illa themin, legum normam, structura figurat,
Quæ tutum tectum postulat, atq; basin.
Hanc ornat stabili tibi prima scientia tecto,
Hanc fundat morum regula, firma basis.
Artibus his nixus, jam Spaltte superstrue quidvis
Scire decet verum, sed simul esse bonum.
Ni via te cæptis deterreat ardua, curis
Hisce laboriferis præmia digna feres.
Perge ita, suade animo, celsum continge cacumen;
Unde tibi Stephano florida ferta metas.

Paulus Barnerus Danus Hassniensis.

ἡγορογχαφ'α Resp.

PeLLe Pater PLanè PeCCat VM, PeLLe PerICLa.

definitore Domino nostro
multum in Christo Iesu pro
rem & Dei gloriam, hoc est co
vivificam & fructuosam fide
beatitudinis & salutis fiduc
demptore & sanctificatore, q
quaq; certum sibi facit, neq; n
re a charitate Dei qua est in
operans pietatem erga Deum
docetq; deniq; serid se agnos
gratitudinem, ab usum talent

53 In hoc virtutis cur
S. Ambrosio iterum atq; iter
rentibus nobis calcar & stim
missum, malum commissum &
vandi difficultatem, salvand
incertius, ultimum iudicium
rabilis!

54 Verum, pro dolor,
quam graviter erremus in vo
mus in voluptates, quam pro
patrum, & (si licet dicere)
lustratum, sed sola natura scit
futurus sit (ut ait Augustinu
tas, cuius modus aeternitas.
consciis sue imperfectionis co
aperit, petenti dat, cum pio re

O salus rerum, lac
Mollibus flecti fac
Lenis exaudi, sceler

Cor mihi rectum s
O potens rerum ge
Spiritus firmum r

7
fructum
a salu-
tarem,
omnem
re, re-
demit:
epara-
a agiq;
num,
am in-

in cum
è cur-
um o-
n, sal-
a nihil
ntole-

ando,
oni si-
orum
sunt il-
quod
chari-
vitate
lanti

